355
353
359
349
364
344
404
304
454
254

adjutore, ipsam vero antiphoniam: o sapientia, altiori voce quam valui cantavi in jubilo, adeo tamen altus mons est, quod nemo poterat me audire clamantem, nec videri poteram ab his, qui in littore ludebant, videbar tamen ab his, qui in classe erant, quae stabat remota a littore, cautibus tamen promontorii alligata. In ipso vertice consistens multum delectabar, et locum quondam insigni aedificio ornatum fuisse deprehendi in antiquis ruinis, nunc vero nihil aliud ibi est, nisi signum in alto palo vel longo baculo suspensum ad maris custodiam et quod inferius est portus. Quare autem hoc promontorium Sapientia dicatur, rationem evidentem non inveni, nisi forte Jupiter in eo consistens dicatur ibi caput suum percussisse et de cerebro suo Minervam, armatam virginem elegantissimam produxisse, quam Minervam, id est Sapientiam, nominavit, quae armata omnem vincit malitiam, Sapientiae VII., et virgo est omnem refugiens spurcitiam; vel quia Minervae, deae sapientiae, hoc promontorium sacratum quondam exstitit ejus templo; vel quia forte antiqui Achaici in eo scholas sapientiae habebant remotas a communi tumultu hominum. Sedi ergo super praeruptum plus quam per horam solus, describens locum, et quasi nimis tardavi, nam antequam descendens venirem in planum, sol occasum petierat, et adhuc una barca in littore stabat; in quam cum aliis ingressus redii in locum meum. Si illam barcam neglexissem, illa nocte non venissem in classem, sed in littore per noctem patientia necessaria fuisset, et forte periissem, quia nocte illa classis recessit, nisi transillas solventes me secum in classem reduxissent.

Die XVIII. in noctis medio, dum omnia essent in silentio, subito aspiravit ventus salubris et bonus, et statim rupto silentio clamores magni excitabantur per classem, et ad recessum se parabant levando anchoras, sursum trahendo barcas, erigendo vela, extendendo spiras, solvendo promesias, et multa, quae gravibus laboribus et cum ingentibus clamoribus et cum violentia, cursu et festinantia fiebant, de quibus saepe dixi. Soluta ergo classe, cum per ventum bonum deportati fuissemus in maris latitudinem, invaluit ventus nimis et orta est tempestas adeo saeva, sicut vix sustinuimus, et duravit toto die illo, unde incipiente saevire tempestate domini de castello madidi et pavidi confugerunt ad nos in carinam (**192 a**), et clauso ostio toto die illo in tenebris sedimus,

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;